

## CAPUT III.

## DE LIBRORUM PROHIBITIONE.

**451.** De lege naturali prohibente ne scripta prava legantur, emanunt etc., jam supra (n. 240) dictum est. Superest ut agamus de lege positiva quam Ecclesia sapienter tulit ne fideles inscitia vel temeritate sua incurrent plurima damna fidei vel morum, quae e lectionibus pravis oriri pronum est. Hanc legem urgere, etiam quando cessat in casu particulari perversionis periculum, diximus n. 127.

Hodie universus hujus legis tenor desumendus est e Const. *Officiorum ac munerum*, quam Leo XIII 25 Januarii 1897 promulgavit, abrogatis Regulis Tridentinae Synodi jussu confectis et variis Observationibus, Decretis, etc. quae a pluribus RR. PP. de eodem argumento edita fuerant.(1) Ex his vigorem quidem suum retinet Const. Benedicti XIV *Solicita et provida*: hic tamen nihil de ea dicendum erit, cum tota versetur in definienda methodo quam in examine et proscriptione librorum servare debeant sacrae Cong. Indicis et S. Officii, Jamvero in cit. Const. Leonis XIII dantur Decreta generalia de prohibitione et censura librorum, quibus plurimae librorum classes reprobatae declarantur; insuper Index, quo libri prohibiti singillatim recensentur, diligentissime recognitus est et vulgatus anno 1900.

Praeter hanc duplarem librorum seriem, nulli alii in universa Ecclesia prohibentur. Sed singuli Ordinarii libros pro suis dioecesanis, iisque tantum, prohibere possunt et, si qui plurimum nocent, etiam tenentur. Jubet enim cit. Const. a. 28: "Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa procribere et e manibus fidelium auferre studeant." Igitur, juxta sensum quem Canonistae communiter tribuunt verbis *etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus*, episcopus in hac proscriptione procedere potest, sive auctoritate sua ordinaria sive, tamquam Sanctae Sedis delegatus. Haec clausula addita fuit: "Ne quis praetextu defec-  
tus jurisdictionis aut alio quaesito colore Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere vel pro non latis habere

(1) Jam multi scriptores erudite interpretati sunt hanc Leonis XIII Constitutionem. Potissimum consuluiimus, in hoc brevi conspectu concinnando, A. Vermeersch, S. J. (3<sup>a</sup> editio, 1899); Jos. Hollweck (2<sup>a</sup> editio, 1897); Périès (1898); C. Van Coillie (1899); M. C. Gennari, in ephemeridibus *Il Monitore Ecclesiastico* (t. 30) et Jos. Pennacchi apud Acta S. Sedis (t. 30).

praesumat. „(S. Inqu. Litt. circul. 24 Aug. 1864; Coll. P. F. n. 1889) Neque impeditur Ordinarius quominus proserbat librum in aliena dioecesi editum et approbatum, sed in propria dioecesi *diffusum et noxiū*: quamquam sane optandum est ut periculum talis discrepantiae inter Ordinarios, diligenti censurae praeviae cura, removeatur. Poterit quoque Ordinarius prohibere suis libros a Regularibus aliisve exemptis editos. Verum non videntur prohibitions legendi, retinendi, etc. quaelibet scripta, ab Ordinario factae, cadere in Regulares. Qui enim AA. accurate enumerant casus omnes in quibus episcopis subdantur Regulares, commemorant solam approbationem librorum edendorum (Piat. Prael. J. Reg. II. p. 320), sicut et in hac Const. (a. 36) sancitum est. Quoad lectionem ergo, retentionem, etc. scriptorum quae nulla universalis lege vetantur, Regulares a praelatis tantum suis pendere opinamur.

Prohibitiones librorum ab Ecclesia factas, ubi non de consilio dando, sed de obligatione imponenda quaeritur, stricte interpretandas ducimus: siquidem libertatem restringunt in materia quae natura sua haud modicum gravamen affert, saltem ob effrenatam licentiam quidlibet typis edendi et difficultatem servandi legem quam tam multi, etiam e catholicis, transgrediuntur. (n. 112) Neque dicendum cum quibusdam (Suarez, de Fide, disp. 12. sect. 2. n. 10), eas late interpretandas esse, utpote factas in favorem fidei et pro defensione fidelium: sic enim omnes leges latae interpretationis essent, cum omnes in favorem fidei aliarumve virtutum conditae sint. Hanc sententiam nostram ducimus confirmari benigna indeole praesentis Const. Leonis XIII: qui declarat suam mentem fuisse pristinas Regulas Tridentinas "incolumi earum natura, efficere aliquanto moliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit." Etenim interpretatio accommodanda est menti legislatoris, quae legis anima est. Spectatis autem adjunetis, in quibus non una vel altera dioecesis, sed maxima catholicorum orbis pars hodie versatur, non erit levis facilisque legis observatio, prout optat Leo XIII, nisi ejus dispositiones benigne interpretetur. Neque periculum est ne hac benigna interpretatione legis vim enervemus, modo verbis hujus Constitutionis servemus sensum suum proprium: quod profecto etiam in benigniore interpretatione faciendum est. Ceterum solutiones practicae illorum interpretum qui numero longe pauciores, late interpretandas esse ducent praesentis legis prohibitions (ex. gr. Van Coillie, p. 22 seqq.) sat raro discrepant ab iis quas proponunt reliqui interpretes, nobiscum in hac interpretationis regula consentientes, quales sunt Vermeersch (n. 7), Hollweck (p. 20), Pennacchi (n. 34) et Périès (p. 55).

Duo praesertim ad proxim confessoriorum declarantur oportet:

1º Quae scripta sint Decretis Generalibus prohibita; 2º quaenam officia fidelibus ex illa prohibitione oriuntur. His pauca adjungemus de censura cui scripta publicanda subjiciantur oportet.

### § 1. QUI LIBRI SINT PROHIBITI.

**452.** Claritatis gratia, distinguemus scripta quae absolute omnibus prohibentur et ea quae non prohibentur nisi cum aliquo temperamento: vid. quia quibusdam personis sub certis conditionibus permittuntur vel unice ob defectum legitimae approbationis vetantur.

**I. Scripta absolute prohibita** praesertim sequentibus regulis determinantur:

1º "Libri omnes, quos ante annum 1600 aut RR. PP. aut Concilia Oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habentur, sicut olim damnati fuerunt; iis exceptis qui per haec Decreta generalia permittuntur," Exceptio ista potissimum videtur referri ad mitigationem a. 4 hujus Const. inductam quoad scripta acatholicorum qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt. Hi ergo, licet ante annum 1600 damnati fuerint, nunc permittuntur.

Insuper opinamur licite legi scripta antiquorum haereticorum, ut Tertulliani, Origenis, etc. quorum errores jam penitus obsoleverunt. Id enim ante hanc Const. licitum reputabant plures egregii AA., ut Lugo (de Fide, disp. 21. n. 29), ob multiplicem utilitatem in studiis ecclesiasticis oriundam; neque videtur scopus benignus hujus Const. poscere ut usus prorsus innocuus et tantum in scholis theologicis vigens tollatur.

2º "Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes," (a. 2).

Hac regula prohibentur: a) Libri a quibuscumque auctoribus, etiam catholicis, conscripti, in quibus propugnatur haeresis vel schisma. Quid sit haeresis, in foro externo Ecclesiae, prout hic sumitur dictum est n. 203. Schisma vero est discessio ab unitate Ecclesiae, quatenus haec est corpus mysticum, ex universis fidelibus tamquam membris et R. P. tamquam capite constans (Schmalzgr. in Decr. l. 5. t. 8. n. 1), minime vero rebellio adversus Ordinarium vel contemptus alicujus particularis praecepti a R. P. dati. Ut autem haeresim vel schisma *propugnet* liber, non sufficit ut auctor eadem enuntiet vel non nisi obiter, paucis et quasi aliud agens defendat, sed ut alterutrum aperte rationibus suadere conetur. Cfr. Vol. II. n. 587.—b) Libri qui *utcumque*, seu seriis impugna-

tionibus, seu jocis et irrisioibus, evertunt religionis fundamenta: eas videlicet veritates quae revelationi necessario substernuntur, ut puta existentiam Dei, animae spiritualitatem, etc. Igitur prohibitur libri quibus adstruuntur scepticismus, materialismus et similia systemata sophistica quibuscum vera religio stare nequeat. Sed adverte jam hic nullam specialem prohibitionem ferri contra haeresiarchas, quorum libri *omnes* Reg. 2a veteris Indicis proscribebantur. Quare jam legi queunt eorum libri catholice conscripti, ex. gr. quos Doellinger praecclare edidit antequam neo-protestantium dux fieret.

3º "Acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri." (a. 3) Acatholici, in sensu latiore, vocantur quicumque penitus extra Ecclesiam catholicam versantur: hic autem hac voce non videntur designari, qui omnino increduli sunt, sed ii tantum qui ad aliquam christianam sectam pertinent, cum ab incredulis sperari nequeat ut, de religione ex professo tractantes, nihil contra fidem catholicam efferant. (Penn. n. 41) Ut autem liber censeatur ex professo de religione tractare, non sufficit ut obiter quaedam de ea proponat, sed requiritur ut auctor, vel in toto libro, vel in notabili ejus parte, incumbat in tractandum argumentum religiosum, sive dogma, sive morale, sive historiam ecclesiasticam, immo et philosophiam, quatenus ab haereticis ad debilitanda dogmata adhibeat. (Arndt, de libris prohib. comment. p. 123) Ex hac regula patet jam licite legi libros acatholicorum, etiamsi ex professo de religione tractant, ubi constat nihil in eis contra fidem catholicam contineri; quibus addendi sunt, ex a. 4, eorumdem auctorum libri qui obiter tantum fidei veritates attingunt, etiamsi aliquem errorem contra fidem continent, nisi speciali decreto proscripti fuerint.

4º "Libri qui res lascivas seu obscaenas ex professo tractant, narrant, aut docent." (a. 9) Verba *ex professo tractare* etc. eodem modo intelligenda sunt ac supra (ad 3<sup>um</sup>) de similibus dictum est. Igitur, ad prohibitionem incurriendam requiritur et sufficit ut auctor in notabili saltem libri parte et data opera tractet, narret vel doceat graviter turpia, etiamsi lascivitas non est praecipuum totius libri argumentum. Tales sunt omnes libri qui ad litteras "pornographicas" pertinent, puta opera saltem plebraque Aem. Zola. Verum positivam prohibitionem effugient multi libri romanenses quibus impuri amores narrantur: qui, licet saepe lege naturali vetentur, praesertim juvenibus, ob proximum perversiois periculum, vere dici nequeunt ex professo obscaeni. Cfr. S. Alph. Dissert. de prohib. librorum, c. 1, n. 9. Multo minus hac regula vetantur libri qui obscaena modo scientifico tractant vel narrant, puta ad medicinam excolandam: modo ne, sub scientiae praetextu, ad alendam nefariam curiositatem conscripti apparent.

Aliquam exceptionem in absoluta librorum obscaenorum prohibitione statuit a. 10 : " Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos *classicos* vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat : nulla tamen ratione pueris vel adulescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt. „ Qui dicendi sint libri classici antiquorum, usu scholarum huminiorum patet; sic pariter libri *classici* recentiorum ii sunt qui in singulis linguis vernaculis a litterarum magistris vel scriptoribus tamquam exempla adhibentur. Hi ergo usu privato adhiberi poterunt, prout jacent, a viris qui iisdem indigent, ob officium quod gerunt, puta scriptoris vel critici, aut magisterium quod exercent; iidem tamen vetantur eos praelegere aut tradere pueris vel adulescentibus, nisi sollerti cura expurgatos: quod praeceptum videtur pretendi ad quaslibet praelectiones, etiam in Universitatibus, cum duplex vox *pueris vel adulescentibus* clare indicet mentem legislatoris complectendi quaslibet infra virilem aetatem positos. Nota nullam hic dari licentiam legendi libros classicos qui non propter lasciviam, sed propter errores religioni adversantes, sub haec Decreta generalia cadunt vel nominatum in Indicem relati sunt.

Si quis ratione officii quod gerit, puta judicis, advocati, redactoris ephemeridum etc., occasione litis vel controversiae motae de libro ex professo obscaeno, in morali necessitate versaretur talem librum legendi, merito censet Hollweck (p. 32) id ipsi licitum fore, secluso periculo proximo consensus in turpia: quamvis enim licentiam generalem tales libros legendi Ecclesia dare non soleat, non videtur velle ut sua prohibito servetur cum tanto incommodo; immo in tali casu lex positive noxia evaderet dum viri catholici publicis muneribus fungi vel etiam fidei adversarios convenienter confutare non possent. Cfr. n. 128.

5º " Damnantur libri, in quibus Deo, aut B. M. V, vel Sanctis, aut catholicae Ecclesiae ejusque cultui, vel sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eadem reprobationis judicio subjacent ea opera in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coartatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt. „ (a. 11) Manifeste triplex librorum series hic prohibetur. Prima, eorum qui Deo, B. M. V. etc. detrahunt seu, secundum nativam vim hujus verbi (Vol. I. n. 418), ea continent quae apta sint ad minuendam bonam existimationem quam de Deo rebusque sacris supra enumeratis legentes habeant. Huic malo patrando non sufficiunt per se contumeliae quedam paucis verbis prolatae: ac proinde non censemus hac nova prohibitione comprehendendi nisi eos libros in quibus detractio aliquatenus evolvatur.

Accedit ratio: ne ista nova prohibitio nimis extendatur, contra benignum hujus Constitutionis spiritum. Attamen, cum hic non apponantur verba *data opera*, non requiritur ad prohibitionem ut detractio hujusmodi partem notabilem libri occupet, vel appareat mens scribentis fuisse ut eam detractionem tamquam finem prosequeretur. Altera series bipartita complectitur opera in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur aut ejus extensio nimis coartatur, puta ad sola loca quae de religione vel moribus tractant. Quae sint haec opera, colliges potissimum ex Encycl. Litt. Leonis XIII, de Studiis Scripturae Sacrae, 18 Nov. 1893. Tandem in tertia serie verba *data opera* clare indicant requiri ut e probris continuatis appareat intentio scribentis deprimenti ecclesiasticam Hierarchiam vel ipsum statum clericalem vel religiosum, non tantum aliquem R. P. vel episcopum, certum quemdam ordinem religiosum, etc.

6º Libri " in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque hujus generis superstitiones docentur vel commendantur. „ (a. 12) Sortilegii vox, cum hic ceteris superstitionibus opponatur, designat peccatum indagantium ope sortium futura vel occulta. Ceteras voces explicatas habes n. 262 seqq.: e quo loco etiam patebit quandonam libri docentes vel commendantes tabulas rotantes, aut hypnotismum, superstitionis labe inficiantur ac proinde edi, legi vel retineri nequeant. Adverte ad prohibitionem non sufficere ut narrentur superstitionis, sed requiri ut doceantur vel commendantur.

7º " Libri qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Ap. Sede proscriptos tinentur. „ (a. 14) Hic prohibentur tres librorum classes: a) eorum qui statuunt licere duellum, suicidium vel divortium, seu matrimonii dissolutionem quoad vinculum extra casus iure divino vel ecclesiastico statutos; — b) eorum qui nituntur demonstrare sectam Massonicam vel quamlibet ejusdem generis societatem (Vol. II. n. 596) non esse perniciosa vel etiam utili esse Ecclesiae et Statui; — c) eorum qui errores ab Ap. Sede proscriptos allatis argumentis tinentur. Ad prohibitionem ergo requiritur ut propugnetur doctrina quae a R. P. vel per se immediate vel per organon alicujus Congregationis Romanae, potissimum S. Officii, saltem ut erronea, reprobata fuerit. Cfr. Vol. II. n. 593. Ut autem liber sub hanc regulam cadat, necessarium est ut unum e tribus argumentis supradictis non tantum obiter attingat, sed in parte non modica propugnet. Id enim requiritur ut *liber* sensu proprio dicatur haec statuere, contendere, etc. Hanc interpretationem manifeste comprobavit S. C. Indicis, dum interrogata: " An opera (quae permulta sunt) erroribus infecta, a Syllabo damnatis, verbis art. 14 prohibita censeantur, quatenus errores ab Ap. Sede damnatos continentia „,

23 Maii 1898 respondit : "Affirmative, si hos errores tueantur seu pro-pugnant." (Act. S. S. t. 30 p. 698)

8º Editiones Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani aliorumque librorum liturgicorum a S. Sede Apostolica approbatorum, si quidquam in iis mutatum sit quo ab authenticis editionibus discrepent. (a. 18)

9º Prohibentur non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure "diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt." (a. 21) Triplex scriptorum species hic distinguitur : diaria (journaux quotidiens), folia periodica i. e. quae crebro, non tamen singulis diebus prodeunt, libelli periodici (revues).

*Data opera religionem aut bonos mores impetere censemus ea diaria vel periodica, quorum scriptores impiarum vel turpium rerum copia et frequentia manifestam faciunt intentionem suam aggrediendi religionem aut mores; minime vero ea in quibus hinc inde, et quasi aliud agendo, quaedam minus recta prodeunt, puta diateria contra religionem, turpes narratiunculae, etc. Neque censemus sub hanc legem cadere diarium vel periodicum in quo semel aut iterum, absque ulla consuetudine, religio vel boni mores oppugnentur: praesens enim articulus videtur has publicationes spectare, quatenus assidue edi pergunta, ac proinde referri ad habitualem earum indolem.*

*Religionem* hic alii aliter intellegunt. Quidam (Vermeersch, n. 18) interpretantur religionem naturalem, ac proinde prohibitioni subducunt ea diaria vel periodica quae solam religionem revelatam, et praesertim Ecclesiam catholicam, oppugnant. Nituntur potissimum stylo curiae: quem dedueunt ex interpretatione Romae recepta (Zitelli, Appar. J. Eccl. p. 540; Konings, Comment. in fac. apost. n. 157) pro similibus verbis in formula facultatem episcopalium prostantium. Plerique (Hollweck p. 37; Van Coillie, p. 65) interpretantur religionem unice veram, ac proinde existimant hic prohiberi quaelibet folia vel periodica quibus religio catholica universe sumpta oppugnatur. Hanc posteriorem interpretationem censemus probabiliorem. Hic enim est sensus obvius vocis "religionis", ubi non abstracte consideratur religio, sed qualis reapse existit et quam a periculo pravorum scriptorum incolumem servare intendit S. Sedes. Finis autem legis nimis imperfecte obtineretur si non essent prohibita diaria et scripta periodica quae jugiter et aperte religionem catholicam impugnant, mode revereantur nescio quam religionem naturalem. Attamen, quamdui nulla intercesserit S. Sedis declaratio, etiam benignorem sententiam in proxim deduci posse arbitramur.

*Bonos mores* intellegimus illam vivendi normam quae conformis sit christiana honestatis legibus, praesertim de castitate. Quare hic prohibentur praecipue diaria, etc, quae crebro et notabiliter narrant, docent

vel commandant turpia, ita ut assidue legentium castitati grave periculum creent.

**453. II.** Scripta cum aliquo temperamento prohibita sunt praecipue sequentia.

1º Regulariter prohibentur editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant; item aliae versiones ss. Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae, demum versiones omnes ss. Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim quae per Societas Biblicas divulgantur. Verum triplex ista librorum classis permittitur iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnantur, in prolegomenis aut adnotationibus, catholicae fidei dogmata. (aa. 5, 6 et 8) Igitur, ut iidem libri sint penitus et omnibus prohibiti, necesse est ut in iis *impugnantur*, seu allatis rationibus impetantur veritates quae fide catholica proponuntur, ac proinde manet licentia mox enuntiata, etiamsi dogmata catholica obiter negentur vel si impugnantur aliae veritates theologicae certae. Studiis autem theologicis vel biblicis operam dare dicendi sunt quicunque habitualiter, non autem actu mere transeunte, sive in scholis, sive privatim, haec studia excolunt. Huic interpretationi consonat responsum a S. C. Indicis datum 23 Maii 1898. Etenim interrogata : "Utrum haec verba art. 5 qui studiis theologicis aut biblicis dant operam, intellegenda sint tantum de doctis viris, iis scientiis deditis, an extendi valeant ad universos s. Theologiae studiosos", respondit : "Negative ad primam partem, affirmative ad secundam" (1).

2º Prohibentur versiones ss. Bibliorum in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, nisi fuerint ab Ap. Sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus. (a. 7) Versionibus cum adnotationibus assimilandae videntur versiones paraphrasticae: prudens enim paraphrasis perinde ac notae, periculum erroris removet.

Sed versiones sine notis vel paraphrasi approbare ad solam S. Sedem

(1) In altera parte hujus responsi negavit S. C. Indicis fas esse episcopo, sine speciali S. Sedis facultate, "permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos legant et vertant, dummodo non impugnantur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum catholicae fidei dogmata." Cum P. Vermeersch (n. 16) opinamur id denegatum fuisse ab hac S. C. ne ansa darendi in scholis theologicis textum Vulgatae, quam in iisdem tamquam authenticam adhiberi jussit Trid. Sess. 4. Dec. de edit. et usu ss. librorum.

pertinet. Attamen, ex usu in nostris regionibus recepto, videtur licitum Ordinariis approbare hujusmodi versiones pro iis partibus ss. Bibliorum quae alendae fidelium devotioni aptiores sunt, puta Psalterio, Epistolis et Evangelii anni liturgici, etc. Verum per se requireretur approbatio S. Sedis, ut 27 Martii 1855 responderat S. C. Indicis. (Coll. P. F. n. 1885) Hodie versiones ss. Bibliorum a S. Sede vel, sub debita condicione, ab episcopo loci in quo eduntur approbatas legere, unicuique fidelium licet, nec jam ulla est *obligatio* petendi consilii a parocho vel confessario, sicut 4<sup>a</sup> veteris Indicis regula praescribebatur. Quodsi alicui versioni adduntur notae ab AA. acatholicis desumptae, opus prohibetur si ejusmodi notae doctrinam fidei et morum respiciant. At si aliud argumentum tractant ejusmodi notae, ex. gr. ethnographicum, geographicum etc., versio non videtur prohibita, siquidem nihil aliud voluisse censendus est Leo XIII nisi ut servetur regula Tridentina (Sess. IV. De edit. et usu ss. lib.) qua vituperatur nimia licentia interpretandi s. Scripturam *in rebus fidei et morum*.

3<sup>o</sup> "Libri aut scripta quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur. „(a. 13) Hoc articulo omnes fideles prohibentur legere duplicem classem scriptorum quae publici juris facta sint absque approbatione Ordinarii vel, si argumentum id postulaverit, S. Sedis. Prior classis complectitur ea scripta quae narrant novas apparitiones, revelationes etc., i. e. eas quae nondum probatae sint legitimae auctoritatis ecclesiasticae judicio, sive expresso, puta dum conceditur officium in memoriam apparitionis vel miraculi recitandum, sive implicito, puta dum, probantibus Superioribus ecclesiasticis, laudari solent aliquae revelationes Servis Dei factae. Ut autem locus sit huic proscriptioni, censemus requiri ut liber scriptumve hujusmodi narrationem vel unice tractet vel saltem sat fuse, et rem tamquam manifeste supernaturalem proponat, seu ut vere in his novitatibus spargendis versetur: quod malum Ecclesia hac nova proscriptione cavere voluit. Quare non putamus fideles prohiberi a legendo libro in quo auctor, dum narrat vitam alicujus viri cum fama sanctitatis defuncti, quaedam obiter de miraculis vel visionibus quae eidem contigisse ferantur interserat, praesertim si declareret se referre tantum quae vera putet, de indole vero portentosa harum rerum nolle firmum judicium proferre. Multo minus prohibentur legi diaria in quibus narrentur miracula nondum Ecclesiae auctoritate probata, ex. gr. quae in aliqua peregrinatione contigerint: tum quia mos talia in diariis narrandi ubique sine Superiorum ecclesiasticorum protestatione invaluit, tum quia hic non videntur vetari nisi scripta quorum argumentum principale sit narrare

apparitiones etc. (Penn. n. 51) Neque praeter approbationem Ordinarii, principio vel fine operis imprimendam, videtur hodie requiri formalis protestatio quam, juxta Urbani VIII decreta (Bened. XIV, de Beat. et Can. Sanct. l. 2. c. 11. n. 8), hucusque solebant libris suis praemittere qui facta mirabilia servorum Dei nondum beatificatorum conscribebant: hoc enim preeceptum silentio praesentis articuli tacite aboleri videtur cum reliquis antiquioribus regulis de librorum editione. (Vermeersch, n. 14) Posterior classis complectitur scripta quae novas inducunt seu fidelibus suadere nituntur devotiones, etiamsi eadem proponuntur privato tantum cultu exercendae. Novae autem censendae erunt devotiones quae notabiliter, sive in objecto cultus, sive in ratione cultus exercendi, discrepant ab iis quas Ecclesia probavit. Exemplo sint, inter plura deereta quibus periculosus iste novitatum pruritus retundendus fuit, prohibitions factae a S. Inqu. (4 Maii 1892) *specialis distinctique* cultus Vultui Redemptoris tribuendi, prout a Presbyteris a Vultu Sancto dictis propagabatur.

4<sup>o</sup> Prohibentur libri aut libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliisque hujusmodi, si praeter legitimae auctoritatis licentiam publicati fuerint, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur. (a. 20) Ut patet ex hujus articuli tenore (*ad fovendam populi christiani pietatem*) et e titulo capituli cui idem inseritur (*De libris liturgicis et predicatoriis*), hic agitur tantum de scriptis quorum argumentum ad populi christiani institutionem in fide et moribus spectat, minime vero de iis quae doctrinam moralem, asceticam etc. speculative proponunt. Talia sunt quae dici solent: *livres et opuscules de piété*. Neque censenda sunt prohibita scripta hujusmodi quae sine licentia prodierint ante editam hanc Constitutionem: idem dic de iis quae cadunt sub aa. 13, 17, 20. Ratio est: nullibi tribui huic legi vim in praeterita. (Hollweck, p. 17)

**454. QUAER. I.** Num praefatae prohibitions extendantur ad manuscripta, lithographica et similia.

**RESP.** Probabilius haec manuscripta non prohibentur *lege positiva*. Etenim, jam sub antiquo Indice, plures, ex. gr. D'Annib. III. n. 114, idem sentiebant, quia, usu jam recepto cum Regulæ Indicis editæ sunt, *libri* nomine in iisdem adhiberi solito non veniebat nisi typis impressum. Hodie autem de usu isto ambigi nequit. Jamvero in his novis Decretis Generalibus regulariter sermo fit de solis *libris*.

Manuscriptis autem accensenda putamus exemplaria lithographica, polygraphica, etc. Haec enim solent tantum adhiberi ut privatae scriptio, puta auditorum alicujus professoris, suppleant, nec stricto sensu

librorum nomine veniunt. Excipe casum quo magno numero multiplicata publice, libri instar, venalia prostent.

In prioribus editionibus opinati sumus manuscripta non prohiberi lege positiva, etiam a. 19, in quo legislator commemorat *scripta*. Nunc, remelius perpensa, contrariam sententiam amplectimur, moti consensu interpretum in eodem articulo explicando. Ratio praecipua est, proprium hujus vocis sensum complecti quaelibet *scripta*. Accedit decretum a S. C. Indicis datum 17 Apr. 1896, quo declaravit, damnato a S. Off. cultu privato divinarum manuum Salvatoris nostri, prohiberi "omnia *scripta*, sive typis edita, sive non.," (Act. S. S. t. 28. p. 640)

**QUAER. II.** Num eaedem prohibitions extendantur ad *scripta* non periodica, quae typis quidem mandata, sed valde exigua sunt (brochures, feuilles volantes).

**RESP.** Probabiliter hujusmodi *scripta* minuta non prohibentur lege positiva nisi diserte commemoremntur. Ita plures, tum veteres quos enumerat et videtur sequi S. Alph. (Append. de proh. libr. c. 5. n. 8), tum recentes, ut D'Annib. (l. c.), Sabetti (Theol. Mor. n. 979), Berardi (de Recid. t. II. n. 214 seqq.), Penn. (n. 38), etc. Etenim cum lex ista stricte interpretanda sit (n. 451), vox *libri*, ubi sola prostat, nequit extendi ad ea *scripta* exigua quae, usu communi, numquam proprie hoc nomine vocantur. Neque alia ratio appetit ob quam in quibusdam regulis *scripta* minoris molis explicite enumerentur, puta "libri aut *scripta*," (a. 13), "Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia," (a. 17), "libros aut libellos precum," (a. 20). Quaenam moles ad librum veri nominis requiratur, potius ex usu recepto quam determinato foliorum numero definiendum ducimus.

## § 2. OFFICIA EX HAC PROHIBITIONE ORIUNDA.

**455.** Prohibitiones his novis Decretis Generalibus editae, necnon singulorum librorum proscriptiones a S. Sede factae, omnes fideles ubique gentium adstringunt. Diserte enim edicit Leo XIII: "Decreta Generalia statuimus... quibus catholici homines toto orbe religiose pareant." Atque a. 45: "Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur et in quocumque vertantur idioma." (1) Tandem, in fine

(1) S. C. Indicis 23 Maii 1898 interrogata: "Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas facita dispensatione frui quidam arbitrantur," respondit: "Affirmative. Attamen episcopis

harum Litterarum, jubet R. P. quaecumque in iis habentur inviolabiliter ab omnibus observari, contrariis non obstantibus quibuscumque. Ob has tam urgentes praecipiendi formulas, existimamus neminem posse se tueri a servandis praesentis Constitutionis legibus, ope consuetudinis contrariae: quamquam, ob benignum ejusdem spiritum, videtur licitum illos usus retinere qui veteribus regulis hodie servatis quaedam tempe- ramenta adjecerant, ut supradiximus de scriptis veterum haereticorum et de quibusdam partibus ss. Bibliorum edendis absque notis. Haec enim leges novas explicant potius quam tollunt.

Proscriptione cuiuslibet *scripti* vetantur quattuor, quae breviter similatim explicabimus: lectio, retentio, impressio, defensio. Cfr. a. 47. Quae censurae ob violatas hujusmodi prohibitions incurvantur, dicetur Vol. II. nn. 587 et 611. Pauca addemus de licentia legendi et retinendi libros prohibitos.

**I. Lectio** prohibita intellegenda est formalis, qua legens simul intellegat quae *scripta* sunt, non mere materialis, qua characteres tantum oculo perspiciat. (D'Annib. III. n. 142) Illa enim sola *lectio* proprio sensu dicitur, nec quidquam amplius requirit finis legis. Hinc legem positivam non violat qui legentem audit, quamvis iste ipsius jussu legat (Lugo, de Fide, disp. 21. n. 75), neque qui legit librum scriptum lingua quam ignorat.

Extenditur prohibitio ad partes etiam accessorias libri damnati, puta ad prologum, indicem, etc. Si in opere quod pluribus tomis constat, error ob quem opus reprobatur, in uno tantum continetur, reliqui tomii non sunt censendi prohibiti, nisi argumentum tale sit ut nullam divisionem recipiat. (Lugo, l. c. n. 60; D'Annib. III. n. 141. nota 10) Probabiliter "cessat prohibitio si eam partem quae prohibitioni causam dedit, detraxeris, vel deleveris, vel induxeris ut amplius legi nequeat, dumne liber proscriptus fuerit... in odium auctoris." (D'Annib. l. c.)

Certum est lectionem lege vetitam *admittere parvitatem materiae*. Ita numquam mortale peccatum committet qui leget librum qui prohibetur tantum quia sine requisita licentia editus est, quales sunt libelli devotionis sine approbatione editi (n. 453, 4<sup>o</sup>). In iis vero qui propter doctrinam vel turpititudinem reprobantur, mensura gravis peccati, minus e numero linearum quae percurruntur quam e fine legis sumenda est. Si quis etiam paucas lineas legit in quibus advertit contineri quae directe fidei vel bonis moribus adversentur, graviter peccabit cum in his

Angliae amplas facultates a S. Sede concessas esse ut permetterent fideles sibi commissos pergere in consuetudinibus quae huic Constitutioni contrariae sint, refert periodicum *The Tablet* 18 Dec. 1897.